

5,2
ICONES

ANIMALIVM QVA-
DRUPEDVM VIVIPARORVM
ET OVIPARORVM, QUÆ IN HISTORIÆ
ANIMALIUM CONRADI GESNERI
LIB. I. ET II. DESCRIBUNTUR,

CVM NOMENCLATURIS SINGVLORVM
LATINIS, GRAECIS, ITALICIS, GALLICIS, ET GERMANICIS
*plerunque, & aliarum quoque linguarum, certis
ordinibus digesta.*

Editio Tertia.

Novis Eiconibus non paucis, & passim nomenclaturis
ac descriptionibus auctior.

Le figure de gl' Animal quadrupedi d'
ogni sorte.

Les figures & pourtraicts des bestes à qua-
tre pieds de toutes sortes.

Die figuren vnd contrefacturen von allerley vierfüßigen Thieren.

*Acceðunt & Indices secundum diuersas linguas
in fine libri.*



HEIDELBERGÆ,

E Typographeio Iohannis Lancelloti, Impensis
ANDREÆ CAMBIERI.

Anno M DC VI.

solere, ut ita commodius sit ad sulcandum iter. non ferre calorem. in Bohemiam adductum vivere non potuisse. Lappum qui adduxerat sub finem Decembris, nunquam se maiorem cœli caloris vim sensisse testatum. Cornua huius quadrupedis Bernæ in curia visuntur. nos etiam Augustæ in ædibus amplissimi viri Georg. Fuggeri vidimus.

GALLICE Rangier, Ranglier.

GERMANICE Keu/Keen/Keiner/Keinger/Keinschier. Wird mit grossen scharen gefunden in Norwegen und anstossenden landen: auch in Mosseua / welches ist ein geue im künigreich Poland / aber zu vuserer zeit vast wenig. Ich halt das sein nam ein Teutschen vrsprung habe von dem Keenen her: dann diß thier ist also schnell / das es eins tags vff 30. Teutscher meilen lauffen mag / re. POLONICE Kescheron.

RHINOCEROS, vel Taurus Æthiopicus Pausaniæ: nam alij sunt Æthiopici illi tauri, quorum Plinius & Ælianus meminerunt. Rhinocerotis nomen Græcum in linguis aliis plerisque seruat. Latine dici posset Naricornis. Rhinocerotis eius picturam vidimus, cuius cadaver è naufragio eiectionum est in Tyrrhenum litus. Capite est sulto, tergore munitus scutulato. cornu gemino altero pusillo in fronte, altero in nare robustissimo, quo audacissime pugnat ac vincit Elephantum, Scaliger. Indorum lingua hoc animal Sanadabamer vocat. Rhinoceros magnitudine par est Equo fluuiali.



Deie autem iuxta Nilum, ab Oceano ascendens: & cum apud Indos Bouis nomine dicatur, apud Nilum nominatur Rhinoceros, Scriptor Græcus recentior innotatus. Oppianus hoc animal Oryge non multo maius esse scribit. Strabo magnitudinem Tauri ei tribuit. Plinius Elephantum longitudine propè parem facit: alij vel parem, vel paulo longiorem, humiliorem tamen, & brevioribus cruribus. Pictura quam exhibeo, Alberti Dureri est, qua clariss. ille pictor Rhinocerotem Emmanueli Lusitaniz regi anno Salutis 1515. à Cambaia India regione Vlysbonam aduectum, perpulchrè expressit.

GERMAN. Ein groß fröm̃b Thier auß India / mit einem kleinen hörnlein / vff dem halß oben: vnd einem andern starcken horn off der nase / mit welchem er fräßenlich wider den Helsen streit / reißt in den bauch auf / vnd überwindet in Nag ein Daphn. a genant werden.

ELEPHAS Græcum vocabulum, Latinis etiam receptum est. dicitur & Elephantus à Cicerone ac alijs bonis authoribus. Barrus, vt Grammatici quidam annotant, lingua Sabina Elephas dicitur: vnde & ebur appellatum putat Servius, tanquam è Barro. Barrirè etiam Elephantum dicuntur à sono, vt Festus scribit, per onomatopœiam. Elephantes Italia in Lucanis primum bello Epirotico vidit, & Boves Lucas inde dixit, Plinius & Solinus. Amat insani Bellua Ponti, Lucij boues, Seneca in Hippolyto ITAL. Leofante. GALLICE Elephant. GERMAN. Helsen.





MONOCEROS, hoc est, Vnicornis à recentioribus nominatur, ut subaudiatur, fera, bestia, aut quadrupes: quod ab antiquioribus Asinus vel Onager vel Equus Indicus appellatur. ab Indis Cartazonus, ut Ælianus tradit. Quòd si quis Hippelaphum Indicū nominare voluerit, non fecerit absurdè, propter similitudinem ad utrunq; animal: quanquam alius est Hippelaphus Aristotelis. Orsei Indi venantur asperissimam feram Monocerotem, reliquo corpore equo similem, capite Ceruo, pedibus Elephāto, cauda apro, mugitu graui, vno cornu nigro, &c. Plinius: qui Rhinocerotis quædam Monoceroti attribuere videtur, & in vnam descriptionem feras diversas confundere. Authores certè & veteres & recentiores in describenda hac fera variant: ita tamen vt omnes de eodem animali sentire videantur. Color quidem cornu, & fortè etiam corporis, non convenit: siue reuera, siue quia à scriptoribus erratum est. Sed color speciem aliam non facit. Maius ex pedum differentia discrimen fuerit. nam Aristotelis Asinus Indicus solipes est: nostra verò icon (talis, qualis à pictoribus hodie pingitur, certi quidem nihil de ea habeo) animal ostendit bifidum. Solinus & alij pedes Elephantici ei attribuunt. Ludovicus Romanus patritius vnicorne animal Meche (quod Arabiæ oppidum est, sepulchro Mahometis in signe) se vidisse scribit, vngulis anteriorū (*quasi nō similes etiā posteriorū sint*) pedum bifidis, caprinos pedes fermè referentibus. Monocerotis figuram (inquit Scaliger) ex Vartomani facetissima narratione adscribemus. Vnicornibus Equi magnitudo: crura, pedes, caput, Cerui. pili color balius. Equi juba, rarior, brevior. Coxæ villosæ. Cornu vnum integrum Niceæ vidimus: alia alibi. Suffuluum vnum subluteum, accedens maximè ad buxum: vnum subpunicum. Etiam habemus frustum candidum. Nos multa de Monocerote primū in eius integra historia scripsimus: deinde in Paralipomenis libri De quadrupedibus, & rursus in eiusdem Appendice.


Reperiuntur frequenter in Polonia cornua quædam, quæ Monocerotis esse cōiiciunt quidam, duplici argumento: primū quòd singula reperiri soleant, nunquam bina quod hætenus sit auditum, quanvis aliquando cum ipso craneo & reliqui corporis ossibus inveniuntur: deinde quòd vis eorum contra magnos & difficillimos morbos explorata sit. qua de re diligentissimè Ant. Schnebergerus olim discipulus meus, nunc magnæ doctrinæ apud Sarmatas medicus, & summus naturæ perscrutator, ad me perscripsit ante quinquennium ferè, ad cornua aliquot huiusmodi spectanda, clariss. hoc tempore in Sarmatia medici, & mathemat. nostra ætate incomparabilis Ioachimi Rhætici, summi amici mei, opera admissus.

Primū

Primum istorum cornuum (inquit) vidi lōgitudine orgyia meæ, colore subcinericeo vel subnigro: mucrone acutissimo, terete. Diameter circa radicem cornu sesquidodrantem excedebat. Superficies erat plana, nullis spirarum versuris: substantia friabilis, figura incurva: interius colore candidissimo: qui fuscum colorē contrahit, si vinum imbibit. Octo tales coniunctæ ei erant scissuræ (*laminae*) quales in majori parte quam mitto videbis. est autem illa pars non de cornu, sed vel palati os, vel alia quæpiam ut coniicio. Inventum est hoc cornu sub terra, non profundius pede, loco solitario, & excelsio ut hîc sunt: inter duos colles sito, per quē torrens fluit, à rusticis fodientibus propter iacienda ædificij fundamenta. Percussum quidem securi cornu, in minimas partes dissectum est: generosus autem & magnificus vir Io. Frikalz (in cuius agro duo miliaria distante Cracovia, inventum est cornu) qua potuit diligētia ne particulæ disgregarentur, è terra eximi curavit. A radice ad apicem usq; totum rotundum (teres) fuit, linguæ contactu adhæret. dens tantus erat, quantum complecti manus potest. suprema (vel extrinseca) parte osseus, intus cavus, in medio albus, in fine subruffus. Inventum est autem totum animal: & ut ex magnitudine ossium facile perspicitur, maius equo fuit. Quadrupes fuisse certum est ex humerorum, tibiârū & costarum ossibus. Quod si dens Elephantis esset hoc cornu, ut quidā suspicantur, mireris cur nunquam (quod audierim) bina reperiātur. (*Sed neq; adeo curui sunt Elephantis dentes, seu potius cornua, ut ad semicirculum ferè accedāt, quemadmodum ista.*) Huius cornu vires, denario eius exhibito cum vino aut aqua borraginis, in febribus inveteratis, tertiana trium annorum, quartana, & alijs mirabiles sum expertus, &c. vomitum nonnullis movet, & alvum deijcit. Hactenus de primo ex quatuor illis quæ vidi cornibus. Alterum huic simile erat, sed minus integrum: colore foris nigerrimo, intus candidissimo, in torrente inventum. Tertium & quartum durissima, ita ut vel saxum & ferrum eis cedere potuisse existimē, solida usq; ad mucronem, integra tamen non vidi: sed unius partem cubitalem, alterius sequicubitalem: colore fusco, crassitudine eadem ferè, qua præcedētia duo. Verum priora duo cum nullas habeant rimas aut scissuras, hæc habent per longitudinem instar striarum in caulibus herbarum. Horum alterum in agro quodam repertū est, ita prominens, ut palum esse rustici existimarent. Horum etiam vi medica multi à febribus liberati sunt. Quod priora minùs dura fuerint, causam arbitror quoniam alterum eorum in aqua tantò tempore latuerit. alterum verò sub terra vix bene absconditum. Vidi postea quintum simile primo. nullum ex eis directum, sed omnia curua, quædam ad semicirculum. Hactenus Schnebergerus meus: qui hoc etiam addit plurima huiusmodi inveniri in Polonia, & idcirco ferè contemni. Reperta sunt autem apud nos quoq; , in Helvetijs dico, mea memoria aliquot huiusmodi cornua: unum in Arula fluvio iuxta Brugam oppidum: alterum superiore anno Basileæ in Birsâ flumine, quod ipse vidi, sed fractum. sicuti etiam tertium apud illustrem Cimbrorum Comitem Guilielmum Vvernherum in arce prope Rotevillam, qui magno fragmento me donavit: quod quia iam diu non reperio, furto mihi subtractum suspicor: sed aliud mediocre à chirurgo & tonsore Basiliensi, qui in Birsâ dum piscatur, reperit, accepi. In torrentibus quidem & fluvijs singula reperiri minus est mirum, ubi multo tempore partes separatæ aquarū vi in loca diversa rapiuntur. An verò in terra etiam semper singula reperiantur, considerandum est diligentius: & quærendum an de eodem animali sit cornu illud maximum, quod singulare in templo maiori Argētinae ad columnam plurimis, ut apparet, annis iam pepēdit. videtur enim eadem planè magnitudo, crassitudo, & figura, qua Schnebergerus sua descripsit. id superius post Boves feros exhibuimus. Cornua singula veteres Monoceroti tantum tribuerunt, quem alij alijs no-

minibus appellarunt, ut dictum est, & præterea Orygi (feræ nostro sæculo igno-
tæ ni fallor,) quem Aristoteles & Plinius unicornem faciunt: Ælianus quadricor-
nem: Oppianus non exprimit, videtur tamen bicornem facere. Symeon Sethi
Capream etiam quæ Moschum gerit, monocerotem esse scribit, &c. Recentiores
quidam (ut Scaliger repetit) in Æthiopia alicubi Bobus unicum è fronte media
cornu prodire tradunt, pedali maius, curvitate supina, cuspidem retrorsum de-
vexa: eosdemq; pilo ruffo vestiri. Vnde non omnium unicornium cornu rectum esse
colligimus. Sed cur in Polonia frequentius huiusmodi cornua reperiuntur quàm
alibi? an inde suspicabimur, Vrorum quorundam ea fuisse? qui ut hodieq; in Sar-
matia sylvis sunt, ita olim nimirum longè plures fuerunt: & cum in maioribus
magisq; desertis sylvis viverent, nec tam assiduis venationibus occiderentur, eo-
rum aliquos ad grandævam ætatem maioribus subinde cornibus insignem per-
venisse verisimile est. Nos hæc alijs consideranda proponimus. Pharmacopolæ
nusquam opinor veri Monocerotis cornua habent: sed alij adulteratum quippiã,
alij cornu illius maximi & ignoti, de quo diximus, fragmenta: & non solum de
cornu, sed etiam de ossibus capitis: quorum nō nulla temporis longinquitate ita
affecta sunt, ut triplicem in eis substantiam deprehendas, suo quanq; interstitio
diremptam, unam ferè corneam, & pallidam: alteram albiorem, mollioremque:
tertiam, lapideam, candidissimam. Audio & ex novis insulis Monocerotis nomi-
ne cornu adferri, contra venena laudatum: quod quale sit nondum rescivi. quæ-
rendum autem an sit Rhinocerotis. nam & veteres & recentiores quidam hunc
cum Monocerote confundunt. Vires quidem utriusq; cornibus propè easdem
esse conijcio. Rupicapra genus unicorne, Polonice Skalna koza, quasi rupea
capra, invenitur in monte Carpatho, & sæpe ex venatione Cracoviam in aulam
adfertur: ut retulit Albertus Moscenius Polonus, eximia doctrinæ iuvenis, ipsū
se non semel vidisse asserens.

ITALICE Alicorno vel Vnicorno. GALLICE Licorne. GERMANICE Einhorn.



Leporis effigiem collocavimus infra in fine Ordinis III. Quadrupedum ferorum. At hoc in loco feris cornutis
subiungere libuit monstrosa leporum capita cornuta in Saxonia (ni fallor) reperorum: quorum icones à Io. Kent-
mano Mileno medico accepi. Cornua hæc (inquit) ab amico mihi donata, cum prius à Saxoniæ principibus serva-
ta fuissent, Leporis capiti adnata fuisse, vel ipsum cranium cui etiamnum hærent, arguit. sex ferè digitos longa sunt.
Vidi & alia bina capita leporum similiter cornuta, sed nullum maioribus cornibus. Sic ille. Nos & maiorum & mi-
norum cornuum quæ misit figuras expressimus.

GERM. Gehörn an etlichen Hasen gefunden: welcher contrafactur mir zugeschiekt hat ein glaubwürdiger gelehrter Mann auß Meissen.

Q V A D R V -